

Band XI., Nr. 5062, Seite 90-92

Statuten des Stifts Sindelfingen.

Ohne Ortsangabe, 1297. November 13.

Venerabili in Christo patri ac domino . . Hainrico dei gratia Constantiensi episcopo Wernherus prepositus totumque capitulum ecclesie in Syndelvingen debitam reverentiam et honorem. Cum nos capitulum predictum propter communem utilitatem dicte ecclesie nostre in Syndelvingen quedam statuta infra scripta in posterum valitura iuri consona nec contraria equitati religiosorum ac prudentum virorum consilio communicato ediderimus statuerimus et fecerimus, quibus statutis peractis prefatus dominus noster prepositus suum favorem adhibuit et consensum, supplicamus una cum predicto domino nostro preposito vestre reverentie, quatinus eisdem nostris statutis singulis et universis consensum benivolum adhibentes ipsa de vestre benignitatis gratia dignemini confirmare. Quorum statutorum tenor talis est.
 Anno domini MCCXCVII., idus Novembris. Nos canonici singuli et universi, qui representamus totum capitulum in Syndelvingen ecclesie, convenientes in ipso capitulo et communicato consilio religiosorum aliorumque prudentum virorum pro communi utilitate ecclesie nostre statuimus infra scripta statuta in posterum inviolabiliter observari. Statuimus igitur, quod quandocumque in ecclesia nostra Syndelvingen prepositus de novo canonice eligitur et confirmatur, canonici singuli et universi debent sibi promittere manuali fide obedientiam et reverentiam debitam exhibere. Item statuimus, quod prepositus electus promittere debet corporali prestito iuramento statuta ecclesie inviolabiliter observare et ipsam ecclesiam et totum capitulum cum omnibus rebus et iuribus ipsis annexis et coniunctis pro suo posse per omnia defensare. Item statuimus, quod nullus canonicus recipiatur nec confirmetur, nisi prius iuret statuta nostra et fidelitatem ecclesie observare. Item statuimus, quod prepositus qui pro tempore fuerit debet habere, sive sit presens sive absens, redditus integre prebende in frumento et denariis, sicut alius canonicus et tertiam partem vini tantum crescentis in Korntal et in Walhain quod contingit suam prebendam et non alias pro omni portione ipsum contingente. Residue vero due partes vini inter canonicos communiter et equaliter dividantur. Item statuimus, quod censuales census et mortuaria altari beati Martini ecclesie nostre in Syndelvingen pertinentia totaliter magistro censuum ibidem presententur, ut in usus ipsius ecclesie convertantur. Item statuimus, ut prepositus solus habeat auctoritatem conferendi irrequisito capitulo ecclesias

II

seu beneficia curata videlicet in Syndelvingen in Vögingen¹ et in Darms-hain². Item quod capitulum solum irrequisito preposito habeat auctoritatem eligendi seu presentandi vicarios ad ecclesias apud Lewenberg et apud Wile³ in Glemesgowe, que ecclesie specialiter deserviunt capitulo nostro. Item statuimus, quod redditus universi prebendarum absentium canonicorum in communes usus nostre ecclesie convertantur. Item statuimus, quod molendum dictum Rietmüli ad communitatem libere pertineat. Item cum prepositus qui pro tempore fuerit habeat curiam in Syndelvingen sitam continentem culturam trium aratrorem vel plus, statuimus ut etiam habeat curiam totaliter quam colit Reinhardus de Boltringen et stramen quod provenit de decima frugum eiusdem ville, ut ipse prepositus pro ipsis canonicis onera hospitalitatis valeat facilius sustinere. In reconpensam vero huiusmodi perceptionis straminis tenetur prepositus omnes manipulos decimarum sine omni dampno et iactura capituli in curiam suam deducere et in minori horreo collocare, quod ad hoc est cellerario deputatum, qui cellerarius collectoribus decimarum earundem et trituratoribus de communibus rebus capituli respondebit et in vectura et aliis nullum aliud dampnum sustinebit. Item statuimus, quod cum unusquisque canonicorum habeat suam curiam specialem quasi prepositure annexam, salvo suo iure nemoribus utantur almediis et pascuis more solito et consueto. Item statuimus quod granarium ecclesie in Syndelvingen ad communitatem in omni parte tam superiori quam inferiori funditus et totaliter pertineat, ita quod nullus idem granarium inhabitet neque locum habeat aut quicquam de eo ordinet vel disponat nisi de consensu totius capituli. Item statuimus, quod unusquisque cellerarius qui pro tempore fuerit assumptis sibi duobus de canonicis vel uno ad minus omnes possessiones et bona fratrum et anniversariorum ac alias omnes res ad capitulum pertinentes locet conductoribus et aliter ordinet et disponat pro utilitate ecclesie redditusque ipsorum et proventus distribuatur prout distribuenda fuerint temporibus opportunis et constitutis. Statuimus insuper, ut cum cellerarius fuerit assumendus in ecclesia nostra, quod unus de canonicis residentibus tantum communiter a preposito et capitulo concorditer assumatur, qui in colligendis redditibus et proventibus ipsius ecclesie et distributione ipsorum sit sollicitus et attentus, et quod de receptis et datis ipsius ecclesie idem cellerarius coram capitulo terminis ad hoc ipsis prefigendis rationem facere teneatur, et ratione sic facta et prebendis rite expeditis si quid residuum inventum fuerit illud in communes usus ecclesie pro comparandis possessionibus convertatur. Si vero in distributione prebendarum ipse prebende ad plenum prout moris est non potuerint

¹Vaihingen.

²Vorlage Darms-hain.

³Weiler im Glemsgau (heute im Gebiet der Landkreise Böblingen und Ludwigsburg), unermittelt.

III

expediri, illud quod haberi poterit proportionaliter distribuatur et quilibet illa portione sit contentus, ne possessiones ipsius ecclesie aut redditus futuri anni pr[o] eo quod haberi non potuit aliquatenus alienentur. Item statuimus, quod cellerarius qui pro tempore fuerit adiunctis sibi duobus de canonicis vel saltem uno residentibus habeat auctoritatem instituendi et destituendi mansionarios ipsius ecclesie, prout ipsis et utilitati ecclesie visum fuerit expedire. Et adicimus, quod idem cellerarius in reconpensam laboris sui medietatem omnium reddituum unius prebende que debetur canonico residenti singulis annis quamdiu in officio suo fuerit habeat et recipiat more solito et consueto. Item statuimus, quod idem cellerarius potest institui et destitui a capitulo, quandocumque et quotienscumque ipsi capitulo aut maiori parti videbitur expedire, et etiam corrigi si excesserit iuxta delicti qualitatem. Item statuimus, quod prepositus ipsi cellerario in expediendis et defendendis rebus universis ipsius ecclesie prestare debet sine dolo et fraude consilium auxilium et iuamen, quando et quotiens ab ipso cellerario fuerit requisitus. Item statuimus, quod si aliquis casus questio vel factum quocumque modo emergat, que respiciant tam prepositum quam capitulum communiter, pro quibus necesse sit expensas et sumptus facere qualescumque, quod huiusmodi expense et sumptus de communibus bonis prepositi et capituli prout rationi consonum fuerit iuxta quantitatem reddituum proportionaliter persolvantur. Et ut premissa statuta singula et universa inviolabiliter in posterum observentur, sigilla nostra presentibus duximus appendenda.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.
 Zwei runde Siegel. 1) 58 mm., der hl. Martin zu Pferd, dem Bettler seinen Mantel teilend; Umschrift: + • S • WERNHE . . . POSITI • ECCE • DE . . . LVINGEN. 2) 65 mm., der h. Martin als Bischof mit Stab und Buch, Brustbild; Umschrift: + • SIGILLVM • ECCE • S • MARTIN . . . INDELVINGEN.

 Die erbetene Bestätigung erfolgte erst 1303 Dezember 13 durch die Vertreter des Bischofs Heinrich, Magister Walther den Scholaster und C. den Propst von St. Johann, Domherrn zu Konstanz; Regest a. a. O. 3344.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 601 U 123

Überlieferung und Textkritik:

Original und Übersetzung.

Regesten:

Regesten Bischöfe Konstanz, Nr. 3049.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Werner; Propst des Stifts Sindelfingen

Ortsindex:

Darmsheim Wohnplatz (209)
 Darmsheim, Sindelfingen, BB
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Korntal Wohnplatz (1187)
 Korntal, Korntal-Münchingen, LB
 Leonberg Wohnplatz (154)
 Leonberg, BB
 Poltringen Wohnplatz (16228)
 Poltringen, Ammerbuch, Tü
 Sindelfingen Wohnplatz (211)
 Sindelfingen, BB
 Vaihingen Wohnplatz (63)
 Vaihingen, Stuttgart, S
 Walheim Wohnplatz (1133)
 Walheim, LB
 Weiler